Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

in eo. & perseuerantes in operibus eius. promissum expectantes in die iudicii. neque destituant uos quorundam uaniloquia insinuantium. ut uos conuertant a ueritate euangelii quod predicatur a me. Et nunc faciet deus. ut qui sunt ex me ad profectum ueritatis euangelii deseruientes. & facientes benignitate operumque salutis uite eterne. Et nunc palam sunt uincula mea que patior in christo. quibus letor & gaudeo. Et nunc michi hoc est ad salutem perpetuam. quod ipsum factum orationibus uestris & administrante spiritum sanctum. siue per uitam siue per mortem. Est enim michi uiuere in christo & mori gaudium. & in idipsum in uobis faciet misericordiam suam. ut eandem dilectionem habeatis. & sitis unanimes. Ergo dilectissimi ut audistis presentiam mei. ita retinete & facite in timore dei. & erit uobis uita in eternum. Est enim deus qui operatur in uobis. & ut facite sine retractu quecumque facitis. & quod est dilectissimi gaudete in christo. Et precauete sordidos in lucro. Omnes sint petitiones uestre palam apud deum. & estote firmi in sensu christi. & que integra & pudica & iusta. & amabilia facite & que audistis & accepistis in corde retinete & erit uobis pax.

DOMINICA SEPTUAGESIMA.

A. Alleluia. Dudum quasi uocem magnam tubarum multarum in celo dicentium alleluia laus & gloria & uirtus deo nostro est quia uera & iusta iudicia eius alleluia. & iterum dixerunt alleluia. R. Alleluia. Iudica iudicium meum & redime me alleluia a calumpniantibus me alleluia. V. Vide humilitatem meam & eripe me quia legem tuam non sum oblitus. Et redime.

Vespertina oratio. Cum alleluia. In euangelio A. Ymnum cantate nobis alleluia de canticis syon alleluia quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena alleluia. Septuaginta annos super flumina babylonis sedimus & fleuimus dum recordaremur syon ibi suspendimus organa nostra alleluia alleluia alleluia.

Inuitatorium. Adoremus deum qui fecit nos.

In principio creauit deus celum & terram. Terra autem erat inanis & uacua. & tenebre erant super faciem abyssi. & spiritus dei ferebatur super aquas. Dixitque deus. Fiat lux. Et facta est lux. Et uidit deus lucem quod esset bona. & diuisit lucem a tenebris. appellauitque lucem diem & tenebras noctem. Factumque est uespere & mane dies unus. R. In principio deus creauit celum & terram & spiritus domini ferebatur super aquas & uidit deus cuncta que fecerat & erant ualde bona. V. Igitur perfecti sunt